

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICHS REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI QVARTI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCXXXVIII. 1848

A D. I. M. MAH VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI

HABEBVNTVR.

*© Facsimile
Commentaria de F. G. V. P. P. P.
epistolis heroibus*

BEROLINI

FORMIS ACADEMICIS.

INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIS REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI QVARTI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCXXXVIII. 1848

A D. I. M. MAII VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI


HABEBVNTVR.

C. Sachmann

Commentatio de P. Ovidii Nasonis
epistolis heroidum.

BEROLINI

FORMIS ACADEMICIS.



VNIVERSITATIS LITTERARIAE
FRIDERICAE GVILELMAE
RECTOR ET SENATVS.

Epistulas heroidum nominibus inscriptas quot numero P. Ovidius Naso poëta reliquisset dubitarunt multi: qui rem curiose atque ex arte conclusis argumentis tractaverit nullum cognovimus. itaque placet nobis quaestionem et iucundam et utilem de integro instituere, sed brevissime: nam in hoc genere nisi quae certa ac simplici ratione contineantur nihil efficiunt.

Ac primum quidem in exemplaribus vetustis epistulae unde viginti sunt et vigesimae versus duodecim: neque ullam excusationem habet inepta editorum vel recentissimorum superstitio, qui epistolam Sapphus et eos versus qui apud Heinsium his numeris notati sunt, XVI, 39—142 XXI, 13—248, noluerint aut eicere aut circumscribere.

Grammatici veteres, quantum nunc meminimus, epistula prima et quinta usi sunt, et fortasse quarta, hoc est eis carminibus de quorum auctoritate nulla potest esse dubitatio. M. Claudium Sacerdotem quibusdam ad Sapphus epistolam eiusque versum hunc (18), *Non oculis GRATA est Atthis, ut ante, meis*, respexisse visum esse credibile non ducet qui grammatici verba legerit, quae sunt huius modi, p. 59. *This tertiae declinationis this vel dis facit genetivo. mc Atthis, huius Atthis vel Atthis. sic Ovidius. scilicet Sacerdos, cum paulo ante p. 57 haec posuisset, Tis terminata nomina tertiae sunt declinationis. tis faciunt genetivo Latina — Graeca tis vel dis. hic Attis, Attidis vel Attis, mox animadverso idem nomen in Ovidii exemplaribus per aspirationem scribi, hoc quoque regerendum putavit. dixit autem Ovidius aliquotiens Attis recto casu, semel quarto Attin factorum V, 227; Attidis genetivo inter veteres unus Varro in Eumenisin, his verbis. Cum illo venio, video gallorum frequentiam in templo, qui dum messem hornam adlatam inponunt Attidis signo, synodiam gallantes vario recinebant studio. sic enim haec videntur scribenda esse: exemplaria Nonii p. 119 habent Cum illo vento — qui dum essena hora nam adlatam inponeret aedilis signosiae et deam — retinebant studio. his subiecti erant notissimi versus, quibus Attis ex ara excantabatur (Non. p. 102, 11), Tibi typana non inani sonitu, matri' deum Tonimus modos tibi, nos tibi nunc semiviri Teretem comam volantem iactamu' galluli. (Non. p. 49, 20 22 328, 12.) in quibus emendandis a lege Catulliana recedendum non esse putavimus, quam eandem Varro et in aliis observavit et illo versu, quo Attin videtur Venerifugam dixisse, Spatula eviravit omnes pueros Venerifuga. apud Nonium p. 46, 12 libri spatule eviravit omnes venerivaga pueros.*

Sed ad Ovidium redeundum est, qui quid ipse de epistulis suis dixerit nemo ignorat. in amorum libro II, 18 quae carminum genera nunc cum maxime tractet exponit. *aut artes, inquit, teneri profitemur Amoris, Aut quod Penelopes verbis reddatur Ulixi Scribimus, aut lacrimas, Phylli relictas, tuas, Quod Paris et Macareus et quod male gratus Iason Hippolytique parens Hippolytusque legant, Quodque tenens strictum Dido miserabilis ense Dicat et Aeoliae Lesbis amica lyrae.* hae sunt epistulae libri nostri prima, secunda, quinta, undecima, sexta, decima, quarta, septima. nam Sapphus epistolam quae extat ad hunc librum non pertinere iam diximus: neque eam Nasoni adscribet qui Lucanum legerit, ex cuius libro sexto ista *furialis Erichtho* in illam deducta est (139). sed Sapphus epistula quonam tempore scripta esse existimanda sit; quaestio difficilis est, quam Schneidewinus nuper laudabiliter agitare coepit, sed non absolvit. de reliquis octo, quas enumeravimus, epistulis nulli dubium esse potest quin eadem nobis quas poëta scripserit supersint. his autem plures se eo tempore meditari non dixit: neque credibile est eum de Medae vel de Helenae epistula, quae hodie sunt loco duodecimo et septimo decimo, iam tum cogitasse, cum scriberet satis ambigue *Quod Paris legat et quod male gratus Iason.* totum vero librum aut tum aut certe paulo post editum fuisse constat: nam in arte amatoria, in qua ipsa se iam tum versari scribit, iubetur puella amatori heroidas Nasonianas canere, (III; 345) *Vel tibi composita cantetur epistula voce: Ignotum hoc aliis ille novavit opus.* neque veri simile est eum ad hoc genus umquam redisse, qui paulo post nono metamorphoseon libro (529—569) Byblidos epistolam versibus heroicis scriptam inseruerit, neque in carminibus in Ponto scriptis aut emendatis ullam usquam illorum poëmatum mentionem iniecerit. ergo perspicuum est illas duodecim quae restant epistulas (III VIII IX XII XIII XIV XVI XVII XVIII XIX XX XXI), si omnes scripserit, et scripsisse et elimasse poëtam limae summe curiosum brevissimo illo temporis spatio quod fuerit inter alteram amorum editionem et editos anno ab urbe condita Varroniano DCCLV artis amatoriae libros interiectum.

Itaque in his duodecim carminibus liber disputantibus aperitur campus, quippe quae Ovidii esse nihil testetur nisi exemplarium veterum auctoritas et omne dicendi genus ad summam eius similitudinem compositum. ac profecto verendum est ne horum carminum maior pars (XII XIV XVI—XXI) plerisque huius poëtae ingenium plane referre videatur; quibus si dicemus in his non illam sanam copiam et ubertatem esse, quam Nasonis propriam esse constat, sed molestam quandam et exuberantem orationis abundantiam, quotus quisque tam aut exculto aut libero iudicio erit ut id sentire atque cognoscere possit? quin etiam ultro confitebimur nobis quoque aliquando, cum animo a curis non satis tranquillo et valetudine minus firma essemus, rem olim perspectam tum non adeo promptam atque exploratam fuisse. de quattuor reliquis epistulis (III VIII IX XIII) publico indicio tutius confidere possumus; quae vix dici potest quam pauperem exilis ingenii venam osten-

dant. ut uno proximoque utamur exemplo, quis umquam puerilius in eodem schemate quater repetendo perstitit quam hic poëta, qui ita scripserit in epistula Briseïdos? (III, 3—10) *Quas cumque aspicias lacrimae fecere lituras: Sed tamen et lacrimae pondera vocis habent. Sit mihi pauca queri de te dominoque viroque. Fas est de domino pauca viroque queri. Non, ego poscenti quod sum cito tradita regi, Culpa tua est; quamvis haec quoque culpa tua est: Nam simul Eurybates me Talthybiusque vocarunt, Eurybati data sum Talthybioque comes.* nemo profecto haec aut Nasonis digna esse iudicabit aut eo qui illas octo paulo meliores epistulas scripserit. sed nisi certissima et omni exceptione maiora indicia praesto essent, a suspitione ac dubitatione ad ipsam veri cognitionem procedere vix liceret. haec igitur, quantum a nobis observata sunt, proferemus; quibus dubitandum non est quin alii, si animum attenderint, alia addituri sint a nobis praeterita.

Unum ex hoc genere argumentum certissimum nuper, cum de *ambrosia* disputarem, attigimus. *Leda* in epistula VIII, 78 et in XVII, 55, item in eadem XVII, 150 *Aethra*, littera finali correpta a constanti Nasonis consuetudine abhorrere ostendimus. Deinde in XIV, 113 legitur *solio sceptroque potitur*; quod quamquam Latinum est (nam Priscianus p. 881 Lucilium et Naevium ita dixisse testatur, neque in his epistulis quicquam est quod Augusti aut Tiberii temporibus non conveniat), tamen Ovidius semper *potitur* media correpta dixit. porro hic versus, si Nasonis est, in XIX, 170, *Exiguum, sed plus quam nihil, illud erat*, aut spondeum aut Creticum habet ubi non debet, quoniam hic poëta aliter non dixit quam aut *nil* una syllaba aut *nihil* altera producta. in quinto tristium 14, 41 et ex Ponto libro III, 1, 113 *Morte nihil opus est.* in metam. VII, 644 *In superis opis esse nihil. at in aedibus ingens.* in quo convenit ei cum Plauto, cuius haec sunt in Poenulo III, 2, 10, *Quid sunt hi, qui, si nihil est litium, lités emunt*, et in Rudente IV, 4, 9 *Haut pudet: nihil ago tecum. ergo abi hinc sis. qudeso, respondé, senex.* disyllabo multi tantum modo ante consonas usi sunt, ut Terentius, Vergilius, Phaedrus, Statius, Iuvenalis; corripuerunt Catullus, Horatius, Tibullus, Propertius, Seneca, Martialis: monosyllabon solum habent Lucretius et Persius. Item illud quoque in XVII, 213, *Tu quoque qui poteris fore me sperare fidelem?* ab Ovidio alienum est: is enim *qui*, ut sit *quomodo*, non utitur. Praeterea idem syllabas breves in consonam exeuntes duabus certis condicionibus produxit; hoc est subsequente aut vocabulo Graeco (in metam. II, 247 et *Taenarius Eurotas*, in libro VI, 658 *Prosiliuit Ityosque caput*), aut ex his conjunctionibus alterutra, quae sunt *et* aut, post caesuram in tertio hexametri pede; ut metam. III, 184 *Nubibus esse solet aut purpureae aurorae*, in VII, 61 *Et dis cara ferar et vertice*, in eodem 365 *Phoebeamque Rhodon et*, in XII, 392 *Crura quoque impediit et inani*, in XIV, 250 *Ire negabamus et tecta*, in eodem 809 *Res Romana valet et praeside*, in fastorum III, 105 *Quis tunc aut Hyadas aut Pliadas Atlanteas*, in tristium V, 7, 23 *Atque utinam vivat et non moriatur in illis.* quae autem hanc regulam effugiunt, ea certo corrupta sunt. in ar-

tis I, 370 *languet sententia, nisi scribimus At, puto, non poteris ipsa referre vicem*: libri *Ut puto*, et plerique *poteris*, sed *poteris ipse* regius quem Heinsius putabat esse saeculi decimi. ex Ponto libro III, 1, 154 idem Heinsius auctoribus incertis *poteris ore tremente*: vulgo recte scriptum *voce*. in metam. XV, 217, ubi veteres *matris habitavimus alvo*, viri docti olim fecere *latitavimus*. sed in epistula Deianirae IX, 141 *Semivir occubuit in letifero Eueno* (sic enim rectissime Heinsius, cum in Puteaneo codice esset *eueneno*) neque dubitationem admittit neque Nasonis arti consentaneum est. Nec vero minus ab eadem hiatus abhorrent quales sunt in eadem IX, 131 133 *Forsitan et pulsa Aetolide Deianira, Eurytidos Ioles atque insani Alcidae*. nam in altero genere debet aut eiusdem vocalis repetitio esse, ut in metam. XIV, 832 *O et de Latio, o et de gente Sabina*, aut eadem illae coniunctiones quas supra in productione diximus, ut metam. V, 321 *Fonte Medusaeo et Hyantea Aganippe*, in VIII, 310 *Cumque Pheretiade et Hyanteo Iolao*: altero hiatu quomodo hic poëta usus sit ex iisdem versibus apparet; qui eo differunt ab *insano Alcidae*, quod non duos spondeos habent, sed dactylum, ut *Maeonia Atalanta, Talaioniae Eriphyles, Ionio immenso, penatigero Aeneas, Bacchei ululatus, Naupactoo Acheloo*. Sed in elisionis quoque leges (eas quas Ovidius secutus est dicimus) graviter peccatum est et in octava et in septima decima, in quarum altera est *Castori Amyclaeo* VIII, 71, in altera *Disce meo exemplo* XVII, 97. nam de Ovidio Mauricius Hauptius in observationum criticarum libello p. 22 rectissime statuit, eum longam vocalem in tertia dactyli syllaba nullam elisisse; quo factum est ut vocalibus diductis maluerit dicere in metam. I, 155 *subiecto Pelio Ossan*. de meo exemplo longo usu hoc didicimus, vocabula iambi pedis mensura comprehensa a multis poëtis ita coërcita esse, ut ne usquam vocalis in fine iambi posita cum vocali subiecta coniungeretur. sunt in hoc numero Lucretius, Valerius Cato, Tibullus cum Lygdamo et Sulpicia, Gratius, Iliados interpres, Priapea, Columella, Persius, Martialis; qui qua ratione ducti se tam molestae legi obstrinxerint, et quam angustis condicionibus ceteri hoc elisionis genus admiserint, loco magis commodo exponemus: nunc satis erit dixisse, quod quivis experiundo intellegere possit, in elegiacis Nasonis poëmatis nullum esse huius sive elisionis sive synizeseos exemplum. nam in amorum II, 19, 20 *Saepe time insidias* sententiam pervertit, in tristium II, 295 *Stat Venus Ultori iuncta viro ante fores* multis nominibus absurdum est. itaque, nullo modo fieri potuit ut hic poëta in elegis scriberet *Disce meo exemplo*, quippe qui in his quoque hiaverit potius, ut in amorum II, 13, 21 *precibusque meis fave Ili-thyia*, et in metam. III, 501 *dictoque vale vale inquit et Echo*. Illud autem, quod postremo loco commemorabimus, hic poëta eo tempore quo amatoria carmina scripsit ausus numquam est, ut versus pentametros vocabulo non disyllabo finiret. at in his epistulis huius modi versus extant quattuor, in XIV, 62 *Quae tamen externis danda forent generis*, in XVI, 288 *Lis est cum forma magna pudicitiae*, in XVII, 16 *Nec sedeo duris torva superciliis*, in XIX, 202 *Unda simul miserum vita-*

que deseruit. talia in relegatione non nulla fecisse Ovidium scimus. trisyllaba sunt in Ponticis quinque, tetrasyllaba in fastorum libro quinto et sexto et in Ibide singula, tetrasyllaba et pentasyllaba paulo plura in tristibus et in Ponticis, hexasyllabum in Ibide unum. item monosyllaba, in tristium V, 7, 68 *sat est*, ex Ponto libro I, 6, 26 *scelus est*: nam *ubi es* in IV fastorum 456 per negligentiam grammaticorum relictum est: debebat enim scribi *filia, dixit, ubist?*

Haec quae diximus, vos, Commilitones carissimi, ita accipite, ut exemplo vobis demonstratum esse existimetis quo usque procedere liceat in huius modi disputatione. nam sex numero epistulas certis observationibus plane confutavimus, VIII IX XIV XVI XVII XIX: de ceteris, III XII XIII XVIII XX et duodecim versibus qui restant ex ultima, quamvis maxima sit dubitandi causa, certiora tamen argumenta quaerenda sunt, si scire cupimus, non opinari.

P. P. D. **XXIX**. M. FEBR. A. MDCCCLVIII.
